



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

XXVII. Eorumdem de prima neruorum origine altercatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

quoque instrumento vrentis credendum est præcipuam esse sedem.

EORVM DEM DE PRIMA  
neruorum origine altercatio.

CAPVT XXVII.

**N** altero quoque capite, quod de prima est neruorum origine, ijdem illi, philosophiæ vnus, alter medicinæ principes, non minus serio altercantur.

*Aristotelis opinio.*

Qui enim ab vno principe membro corde totam animalium vitam administrari voluit; ab eodem non arterias modo & venas, sed neruus item creditur proficisci. Primum quoniam complures in eius sinibus neruuli conspiciuntur, qui velut aliorum radices esse videntur. quod si aduersarius respondeat minimè efficax esse argumentum, ut respondet in 1. de decretis lib. cap. 8. propterea quod eodem ostenderetur manum aut pedem, aut aliam quampiam partem, quæ magnopere neruosa sit, principium esse neruorum: cogitare debet has omnes partes posteriores esse; Cor autem primum omnium formari; vel etiam ipsomet sentiente priusquam formetur cerebrum. Et ideo si in corde sint nerui, non potuisse illos aliunde adduci, sed ab hoc potius primo membro ad cætera omnia deriuari. Alterum argumentum fuit; quod arteria, quam ex corde orti certum est, neruosa est atque illius postrema neruo profus constant: quippe quæ nullo intus cano distinguantur; sed solida planè sint & corpulenta; atque ad neruorum modum tendantur.

3. Tertium ac postremum illud fuisse videtur, quod antea quoque propositum fuit. Vnum enim omnium principium esse oportet, in medio animalis constitutum; ut facultatum, sic instrumentorum, quibus ea ad suum opus exequendum vtuntur. Quare vt cum vitali facultate arteria, cum altrice vena, ita cum sentiente & mouente neruus ex eodem illo membro prodire debet.

*Galenus opinio.*

Qui vero tribus principibus vitæ nostræ totius administrationem commisit, ex corde arterias, ex iecore venas, & ex cerebro neruus progigni contendit. Primum namque dum nerui dissectionem facimus cum ex triplici substantia consistat animaduertimus: media quadam & intima cerebri substantiæ prorsus simili; exterioribusque duabus, quarum alteram ex tenui, alteram ex dura cerebri continentibus membranis exoriri conspiciamus. Deinde magna prorsus neruorum copia erumpit ex cerebro: dumque omnes, quotquot in vniuerso corpore continentur, diligenter perquirimus; cernimus omnes aut ex cerebro proficisci; aut ex spinali medulla, quæ cerebri propago quæpiam est. Neque vllus omnino est musculus, cui ab horum altero principio non inferatur neruus. A corde autem nullus deducitur. Immo ipsum à cerebro accipit neruum. Siquidem à sexto eorum pari, qui ex cerebro statim producuntur, complures progerminationes fiunt, quæ tunc ad iecur, ventriculos, & intestina cætera; tunc ad cor descendunt. Quibus ea, quæ ad intestina procurant, cum alijs quibusdam permisceantur,

quæ à spina procedunt. Cæterum neque vllus est in corde neruus. Nam & si neruosa nonnullæ discriminations; & membranatum, quæ cordis officijs adiacent, fines reperiantur; eas tamen nondum esse neruos intelligitur ex vltu; quo maximè instrumenta dignoscuntur. Nō enim sensum aut motum voluntarium tribuunt, quemadmodum cæteris partibus nerui; sed velut copulæ membranas illas cum corde coniungunt. Accedunt nerui illi, qui laryngis musculis inferuntur: quos à corde deduci non posse cuius manifestum erit, quin corporum dissectionibus fuerit vel mediocriter exercitatus. Tūm verò complura sunt animalia, quæ etsi cor non habeant, cum tamen sensu motuque potiantur, neruos ea habere necesse est. Denique inciso aut ligato neruo, pars ea, quæ superior est & cum cerebro copulata, nil patitur detrimenti; sed optimè sentit & mouetur; propterea quod cum suo principio coniuncta sit. Quæ autem inferior est tanquam ab eo separata, sensu omni & motu priuatur. Omnes igitur tum sentientes tum mouentes nerui principium habent à cerebro si enim à corde, nihil inde profectō eorum operatio læderetur.

DE VTROQUE DISPVTATIONIS  
genere propria auctoris  
sententia.

CAPVT XXVIII.

**T**ā propemodum duo præcipua philosophiæ ac medicinæ lumina disputant. Quorum pugnam spectasse non solum iucundum fuerit, sed & fructuosum: cum optimis vtrinque armis & fortissimis ducibus pugnatum sit.

Sed ego in priori conflictu Aristoteli victoriam palmam adiudico. Quod melioribus omnino & firmiter rationibus in ea causâ principatum cordis tueatur. Iisdemque argumentis, quibus antea demonstratum est membrum illud nutritionis principem esse, atque illi iecur in ea operatione famulari; conficitur etiam nunc primum esse sensus & motus principium; cuius veluti famulus & minister sit cerebrum. Nam vt mittam omnium maximæ ac prorsus incredibiles esse dolores cordis; membrumque illud perpetuo ac vehementi motu per omnem vitam agitari. Si vnum oportet esse in animali supremum principem, is tanè fuerit membrum omnium calidissimum, vbi calore geruntur omnia. Neque potest esse iecur, neque cerebrum; adde etiam neque testes, quibus gignendi principatum inesse Galenus existimauit. Quoniam vnā quidem aliquam actionem habent horum singula membra; iecur nutritionem, cerebrum sensum & motum, testes procreationem: at ad cæteras nec ipsa quidpiam conferant, nec exequentibus alijs aut imperant aut opitulantur. Solū cor eiusmodi est; quod etiam nullū eorum operū particulariū immediatè exequatur, propterea quod nec principis deceat dignitatē, nec verò omnibus immediatè adesse queat. In spiritus tamen generatione, velut generalis ad omnia instrumentū, versatur omni tempore: eoque, ad iecur, ad cerebrum, ad testes, & omnino ad corporis

*Prima sententia patet.*